




600011222E



GUIL. LANGII

PHILOSOPHIAE DOCTORIS ET PROFESSORIS, ACADEMIAE BIBLIOTHECARII ET SCHOLAE IN ORPHANOTROPHEO LATINAE COLLEGAE

COMMENTATIO

DE SENTENTIARUM NEXU LOCISQUE DIFFICILIORIBUS HORATII SATYRAE I, 1.


ADIUNCTA EST

ANNALIUM SCHOLAE LATINAE HALENSIS PARTICULA TERTIA

AUCTORE

IOANNE GOTTLIEB DIEK

PHILOS. D. PROFESSORE ET RECTORE GYMNASII.



HALAE,

IN LIBRARIA ORPHANOTROPHEI.

MDCCCXXVIII.

I.

COMMENTATIO

DE

SENTENTIARUM NEXU LOCISQUE DIFFICILIORIBUS

HORATII SATYRAE I, 1.

Quamquam prolusionis huiuscemodi conscribendae opera plerumque ingrata et molesta est, quia aut nemo aut pauci eam legunt, neque semper in scriniis paratum est, quod huic consilio aptum communicari cum publico possit: tamen ante Gymnasii nostri examen, quod dicunt, rogatus, ut hoc scribendi negotium iterum susciperem, has preces eam quoque ob causam denegare nolui, quod loci aliquot in Horatii Satyris *) difficiliores restabant, quorum tractationem non ingratam fore arbitrabar omnibus iis, qui hunc egregium poetam non minus quam ego diligerent.

Quod autem me inprimis impulit, ut Satyram eiusdem primam libri primi mihi tractandam sumerem, introitus est, eidem ab *Heindorfio* praemissus. Ibi enim hic vir doctissimus, de Platone non minus, quam de Horatio bene meritus, non solum sententiarum nexum accuratamque descriptionem in hac Satyra desiderat, sed etiam poetam nostrum aliorum vitiorum insimulat, quae nisi in reliquis evitasset, nunquam, *Heindorfio* judice, tot

*) Rationes, quare hanc vocem sic, neque per *i* scribendam esse existimem, breviter expositas invenies in priori Commentatiuncula: De difficili Horatii loco in Satyris I, 4, 87. 88. Halis 1826. 8. p. 6. seq.

lectores atque admiratores in hoc ſcribendi genere ſibi conciliaſſet, quot illum re vera nactum eſſe ſcimus. Quam ob cauſam *Heindorfius* hac in Satyra, primi in hoc poeſeos genere tentaminis a noſtro poeta facti veſtigia deprehendit.

Quem ad locum ante omnia notandum eſt, *Heindorfium* non primum fuiſſe criminis huius in Horatium coniecti auctorem, ſed diu ante eum *Homium* Anglum *), cuius tamen nomen *Heindorfius*, haud ſcio an de induſtria, tacuit.

Etſi autem facile concedimus, Horatium non ab omnibus omnino vitiis liberum eſſe **), ſiquidem ipſe pro egregia, quae in eo eſt modeſtia, Sat. I, 3, 68. ait: „Nam vitiis nemo ſine naſcitur: optimus ille eſt, qui minimis urgetur"; tamen ab illo vitio, cuius eum *Homius Heindorfius*que accuſant, ita mihi quidem

*) *Home* Elements of criticism, Vol. I. c. 1. (a new edition Baſil 1795, 8.) p. 28 ſeq.: „In Horace there is no fault more eminent „than want of connexion: inſtances are without num- „ber. The firſt ſatire book 1. is ſo deformed by want „of connexion, as upon the whole to be ſcarce agreeable: „it commences with an important queſtion: How it hap- „pens, that people, though much ſatisfied with themſelves, „are ſeldom ſo with their rank or condition. After illuſtrat- „ing in a ſprigtly manner by ſeveral exemples; the author „forgetting his ſubject, enters upon a declama- „tion againſt avarice, which he purſues till the line 108: „there he makes an apology for wandering, and promiſes „to return to his ſubject, but avarice having got poſ- „ſeſſion of his mind, he follows out that theme to „the end, ***and never returns to the queſtion „propoſed in the beginning.***"

**) Xenoph. Cyrop. V, 4, 19. „*Τὸ γὰρ ἁμαρτάνειν ἀνθρώπους ὄντας, οὐδὲν οἶμαι θαυμαστόν.*"

defendi posse videtur, ut culpa non reo inhaerescat, sed in accusatores eius iniquos recurrat; quippe qui, postquam ipsi, lectione et interpunctione perversa seducti nexum sustulerunt, huius rei culpam in Horatium conferunt.

Quamquam vero praeter *Wielandum*, breviter tantum in Satyrae huius introitu monentem: plus esse in ea nexus, quam commentatores nonnulli invenissent, alius vir doctus inventus est, qui tacito nomine, (nisi fallor, M. *Istrichius* Gymnasii Islebiensis olim collega fuit) poetam nostrum contra *Homii* accusationem defendere studuit *), huius tamen viri scriptiuncula, non tam defensio, quam excusatio vocanda est. Nam summa eius haec fere est: Has Satyras esse diiudicandas e natura sermonis familiaris, qui saepius ad res extra viam positas aberret. Quod vero *Homius* potissimum urget, Horatium in hac Satyra a quaestione primaria ita aberrasse, ut, etsi sub finem reverti promiserit, huic tamen promisso non steterit, id prorsus falsum esse, nequaquam satis demonstratum est. Deinde idem defensor huius omnis criminis fontem non reperit, neque adeo poetam ita defendere potuit, ut lectoribus admiratoribusque eius satisfaceret.

Hinc novum Horatii purgandi tentamen mihi quidem haud supervacaneum videbatur, praesertim quum illud iusta loci alicuius difficilis explicatione nite-

*) In Commentatiuncula, quae inscripta est: I. C. Heroldo, Gymnasii Islebiensis Rectori, novi muneris auspicia congratulantur magistri sodales. Islebiae, 1791, 4.

retur, cui ad postremum reliquos huius Satyrae locos impeditos commode adiungere possem.

Quod negotium ut rite procedere possit, primum necesse erit, locum illum, e quo *Homii* accusatio potissimum manavit, quique defensionis huius veluti fundamentum est, excutere, et deinde Satyrae totius nexum proponere; quibus ad postremum reliqui loci difficiles adiungi poterunt.

Locus autem ille primarius, quem ante omnia examinandum esse putamus, in editione *Heindorfii* a v. 108 — 113. sic legitur:

Illuc, unde abii, redeo. Nemon' ut avarus
Se probet ac potius laudet diversa sequentis,
Quodque aliena capella gerat distentius uber,
Tabescat, neque se maiori pauperiorum
Turbae comparet, hunc atque hunc superare laboret?
Sic festinanti semper locupletior obstat, etc.

In hac lectione *Lambinus* et *Bentleius* sicuti reliquae editiones priscae fere omnes consentiunt, nisi quod in interpunctione, quae tamen sensum non variat, aliquantum inter se discrepant. Signum tamen interrogationis pone laboret (v. 112.) omnes, quas vidi, habent. At ipsi illi duumviri de hac lectione prorsus tacent, ita, ut *Bentleius* de se ipse quodammodo dixisse videatur, quod ad Epp. II, 2, 89. monet: „sed hoc sapere est; quae neque emendare potes, „nec ullo exemplo defendere, transsilire tanquam sana „neque in suspicionem vocanda.“

Jam illud Nemon' alii pro interrogativo accipiunt, ita ut post laboret (v. 112.) aut pluribus locis signum interrogationis ponant. Deinde *Heindor-*

fius voculam ut (post Nemon') pro admirationis nota habet; quemadmodum apud Plaut. in Aul. IV, 7, 9. legitur: „Egone ut te adversum mentiar, mater mea?" et apud Terent. Andr. I, 5, 28. „Eine ego ut advorser?" Porro idem *Heindorfius* illud Nemon' non cum voce avarus copulat, (kein Geiziger,) sed vocem avarus per utpote avarus explicat hanc interpretationem adiiciens: „Habsucht also ist die Leidenschaft, die bei jedem dieser der Unzufriedenheit zu Grunde liegt?"

Aliam vero viam ingressus est *Wolfius* *), qui post laboret (v. 112.) signo exclamationis posito sic convertit:

Dort, wo ich ausging, wieder zurück. Wie nie doch ein Geizhals
Selbst sich gefällt, vielmehr nur anders Wandelnde preiset;
Stets auch, träget die Ziege des Nachbars volleres Euter,
Neid ihn verzehrt! wie nie mit der Aermeren grösserer Menge
Er sich vergleicht; jetzt den, jetzt den zu verdunkeln sich abmüht!
So fortstrebend erblickt er den Reicheren immer im Wege.

At neque *Heindorfii* aliorumque interrogatio, neque *Wolfii* exclamatio tum antecedentibus: „Illuc, unde abii, redeo", tum consequentibus: „Sic festinanti etc.", respondent.

Doeringius V. C., *Heindorfium* secutus sic explicat: „Ergone fit, ut nunquam avarus, iis, quae habet, contentus sit, et eos, quibus est diversa vitae conditio, laudet, tabescatque," etc.? At nexus

*) Horatius erste Satire Lateinisch und Deutsch mit einigen Scholien. Berlin, bei Hitzig, 1813, 4.

postulat, ut post redeo (v. 108.) idem sequatur, quod ab initio (v. 1.) positum est, neminem sua sorte esse contentum seu sese probare, idque eo modo prolatum, quo aliquid referre solemus: per accusativum cum infinitivo, ad hunc fere modum: Jetzt kehre ich dahin zurück, wovon ich ausging, dass keiner als Geizhals mit sich zufrieden sey, sondern eines Anderen Loos preise, dass er sich härme, weil die Ziege eines Anderen ein strotzenderes Euter trägt, dass er sich auch nicht mit dem Haufen der Aermeren vergleiche; sondern diesen und jenen zu übertreffen sich mühe.

Nam quum poeta quaestionem sibi solvere proposuisset, (v. 1.): Qui fiat, ut nemo sorte sua contentus sit, sed praedicet potius diversam sequentes? eiusque rei causam in avaritia (i. e. cupiditate semper plus habendi) invenisset, atque in hac animi perturbatione describenda et reprehendenda, iustis de causis, diutissime commoratus esset, ita, ut lectorem a re primaria paulatim abduxisset: non solum necesse erat, ut eum ad quaestionem a principio propositam reduceret, sed etiam repeteret, qua in re huius *μεμψιμοιρίας* fontem invenisset; cui repetitioni adiungere vitia, avaritiae vicina, i. e. invidiam et ditiorum omnium aemulationem, haud alienum fuit.

Sed unde, quaeres, hic accusativus cum infinitivo, sive haec constructio objectiva, quam nexus postulat, tum interrogationem, tum exclamationem respuens, haurienda erit? Nonne Nemone et ut, tale quid penitus impediunt? Circumspiciamus igitur ante omnia lectionis varietatem, et deinde reliqua videamus.

Antiquissimus *Cruquii* Codex aliique plures manuscripti *), itemque editio princeps 1481, loco Nemon' ut legunt: Nemo ut; quam lectionem *Baxterus* recepit addens: grammaticastros, quos *Bentleius* secutus sit, e Nemo fecisse Nemon'.

Iam vero quum illud Nemon' a Veneta, Glareana, Lambiniana Bentleianaque semel receptum esset, quarum auctoritates *Zeunio* quoque, *Baxteri Gesneri*que in Horatio edendo successori, relinquere religiosum fuit: huic lectioni tantum praesidium paratum erat, ut nemo ulterius de veritate eius dubitare auderet. Nam quod omnino in veterum scriptoribus edendis usu venire videmus, ut verba magis quam sententiae respiciantur, idem huic loco accidisse videtur. Praeter hanc vero lectionis varietatem nulla amplius in his versibus deprehenditur, excepto quod v. 109. loco ac potius, quod omnes editiones reliquae tuentur, in pluribus Codd. legitur: at potius, de quo postea loquemur.

Illa autem vetere lectione Nemo ut revocata, non solum interrogatio ista et admiratio, quae nexui contrariae sunt, evanescent, sed etiam particula ut alio modo, quam vulgo fit, explicari poterit.

At quomodo haec lectio, iterum ex me quaeres, defendi poterit atque ita explicari, ut non tantum sensum praebeat nexui convenientem, quod concedamus, sed etiam grammaticae regulis non adversetur? Ubi tandem ille accusativus cum infinitivo, quem h.

---

*) Vid. *Fea* in editione Horatii, T. II. p. 11.

l. postulari dixisti, ex hisce verbis elici poterit? qua ratione, quod obiter tantum monemus, hiatus, qui tunc oritur, (Nemo ut,) in tali poeta, qualis Horatius est, defendi poterit?

Quas ad quaestiones ut rite respondeamus, primum in memoriam revocandum erit, etsi inter omnes constat, adverbium ut, quod h. l. ab omnibus aut pro nota admirationis aut interrogationis sumitur, apud optimos scriptores atque ipsum Horatium post verba sensuum et dicendi, quale h. l. redeo est, haud raro legi. Sic Sat. II, 1, 50. „Ut, quo quisque valet, suspectos terreat, utque imperet hoc natura potens, sic collige mecum." Ovid. Epp. ex Ponto I, 5, 5. „Cernis, ut ignavum corrumpant otia corpus, ut capiant vitium ni moveantur." Cic. pro Cluent. c. 25. „Non ignoratis, ut etiam bestiae ad eum locum, ubi pastae aliquando sint, revertantur." Idem Tusc. Quaest. III, 3. „Qui vero probari potest, ut sibi mederi animus non possit?" Cff. *Heusinger* ad Cic. de Off. II, 22, 14. et *Bremi* ad Nep. Hannib. I, 1. Neque mirum est, voculam ut in locum accusativi cum infinitivo substitui posse, siquidem idem fere est, utrum dicas: du siehst, wie er fleissig ist, an: d. s., dass er fl. ist.

Quod si verum est, locus noster, lectione vetere Nemo ut revocata et signo interrogationis aut exclamationis post laboret (v. 112.) in punctum mutato, sic explicari poterit: Redeo illuc, unde abii, (abierat autem a primaria quaestione: Qui fit, Maecenas? etc., et inde a versu 36. hucusque cum avaro disputaverat,)

neminem utpote avarum se probare sive sorte sua contentum esse posse, sed potius *) laudare diversa sorte gaudentes, et tabescere ([simul,] quod cum avaritia coniunctum est,) quod aliena capella uber distentius gerat; neque illum (ob avaritiam, i. e. plura possidendi cupiditatem) se comparare cum pauperiorum turba, sed hunc atque hunc superare studere, atque sic fieri, ut semper inveniat superiorem, quem dum superare laborat, veluti in certamine curuli, nunquam quaesitis fruendi otium illi erit.

Qua explicatione et interpunctione admissa, nemo, puto, negabit, hanc Satyram ob nexus defectum non solum non esse vituperandam, sed etiam illius sententias arctius inter se vinctas esse, quam a tali sermone, qui neutiquam demonstratio mathematica est, iure exspectari possit.

Quod ut cuivis manifestum fiat, necesse erit, ut totam Satyram brevi in conspectu proponamus.

V. 1 — 3. poeta quaestionem, quam soluturus est, (quomodo fiat, ut nemo (fere) sorte sua contentus vivat,) proponit.

V. 4 — 12. stultitiae huius exempla aliquot veluti in scenam producit, ut eo melius risui aliorum exponat.

V. 13 — 22. ad causas eiusdem explicandas, i. e. ad quaestionis suae solutionem progreditur, atque pri-

---

*) V. 109. in locum vulgatae lectionis ac potius cum *Baxtero* ex auctoritate plurium Codd. recipio at potius, i. q. sed potius; quoniam particula adversativa non coniunctiva, qualis est vulgata lectio, h. l. postulatur.

mam caufam in eo reperit, quod iſti homines, de ſua ſorte querentes, ipſi ſaepius neſciant, quid velint; quem tamen locum iocoſe potius, quam ſerio tractat.

V. 23 — 40. ioco abhinc ſepoſito, alteram huius perverſitatis cauſam eamque graviſſimam in avaritia invenit, ſiquidem iſti queruli plura ſemper habere geſtiunt neque unquam quaeſitis fruuntur, i. e. avari ſunt.

Tum v. 41 — 100. poeta in depingenda avaritia de induſtria longius commoratur, et non ſolum ſtultitiam eius pluribus luculentisque documentis illuſtrare ſtudet, ſed etiam ante oculos ponit, quantum hominum omnium odium avarus contra ſe excitet, ita ut vel capiti eius timendum ſit.

Quocirca v. 101 — 121. Horatius ſuadet, ut quivis, qui ſorte ſua contentus eſſe velit, inter avaritiam et profuſionem medium teneat, ac parſimoniae ſtudeat, ſiquidem avaritia non ſolum invidiam, ſed etiam omnium ditiorum aemulationem ſecum trahat, ita ut nemo, qui avaritiae morbo laboret, animi tranquillitate gaudere poſſit, ſed ſortis ſuae taedio captus hanc vitam, largas dapes nobis offerentem, veluti conviva non ſatur relinquat.

Quamquam vero poeta ante omnia illam quaeſtionem: Qui fiat, ut nemo (fere) ſorte ſua contentus vivat, etc.? in hac Satyra ſolvere ſibi propoſuiſſe primis ſtatim verſibus clare indicat, et ad extremum iisdem fere verbis ad eandem redit ſummamque totius ſermonis paucis comprehendit; tamen primarium eius conſilium ſine dubio eſt, avaritiam, illud ſatis univerſale illo tempore principum Romanorum vitium, notare deridendumque praebere. Qua in arte, conſilium princeps occultandi, poeta noſter Socratem imitatus

esse videtur, qui, quum homines in aliam viam traducere vellet, non statim ab initio ostendebat, quo tenderet, sed ab alia re incepit, ita ut prorsus aliud in recessu haberet, quam quod in fronte gereret. Hinc factum, ut haec Satyra, sicuti plures aliae, non tam id spectet, quod ab initio profitetur, sed maximam partem in avaritia notanda et carpenda commoretur, ut vere breviterque inscribi possit: Contra avaritiam.

At priusquam a lectoribus doctis postulare possumus, ut nobiscum in superiori illa loci principis explicatione consentiant, nonnulla impedimenta adhuc removenda erunt. Nam etsi sensus hanc explicationem postulet, tamen fortasse grammatica ei adversatur, i. e. metrum et prosodia; quorum sine consensu nihil in poetis mutari potest.

Iam quod primum attinet ad hiatum, quem vulgo sic vocant, (etsi non quivis duarum vocalium concursus sic vocandus est, nisi in earum pronunciatione verus hiatus, i. e. confragosa et hiulca quaedam pronunciandi ratio oritur,) qui tum existit, quum antiquiorem lectionem Nemo ut revocamus: hunc hiatum ne in lyricis quidem poetae nostri carminibus rarum esse, pluribus exemplis nuperrime ostendit *Lindemannus* V. C. in Commentatione doctissima itemque elegantissima: De hiatu in versibus Horatii lyricis *).

Deinde vocem Nemo in ultima produci posse, invita vocali, quae in ut sequitur, observatione non

*) Vid. *Seebodii* V. C. Neues Archiv für die Philologie und Pädagog. 3ter Jahrg., Hildesh. 1828, Heft I. p. 70 seqq.

eget. Nam regulam: Vocalem ante vocalem corripi, tum demum valere, quum utraque vocalis in eadem voce reperiatur, id dubio non obnoxium eſt *). Porro, quamquam *o* finale in ultima ſyllaba anceps eſt, tamen idem quoque produci, verſus primus Satyrae huius ſatis docet.

Quum denique vocula **ut**, utpote unius ſyllabae in conſonantem deſinens, anceps ſit, hic verſus omnis ſic commode ſcandi poterit:

— — — ◡ ◡ — ◡ ◡ — — — ◡ ◡ — ◡

Illuc,| und(e) abi|t, rede|o. Ne|mo ut a|varus

Hinc reliquum modo erit, ut paucis oſtendamus, quomodo factum ſit, ut proba haec antiqua lectio **Nemo ut**, quae ſola Satyrae huic nexum reſtituit, locum ſuum ceſſerit alteri **Nemon' ut**, quae nexum penitus interrupit et reprehenſionem Horatio tam indignam contraxit.

Huius rei cauſam in nulla alia re reperire poſſumus, niſi in eo, quod maior commentatorum numerus, ſicut ſupra iam dictum eſt, in explicandis veterum ſcriptis verba potius et grammaticam eamque non certam ubivis, quam ſententias earumque nexum reſpicere ſolet. Sententias autem, veluti orationis animum, graviores eſſe verbis, quae corpus tantummodo illarum ſunt, nemo facile in dubium vocabit.

Quocirca loci noſtri commentatores ſententiae potius iniuriam facere voluiſſe videntur, omnemque nexum cum antecedentibus et ſequentibus turbare, quam hiatum opinatum, ut videtur, in Horatio admittere.

---

*) Vid. Märk. lat. Gramm. p. 696.

Lectione autem Nemon' semel recepta et auctoritate virorum doctissimorum firmata, interpunctio quoque immutata est.

Nunc ad reliquos locos in hac Satyra difficiles transeamus.

Ad v. 4., in quo *Wolfius* coniecturam *Bouhierii* armis pro annis melioribus profecto rationibus sustentavit, quam *Heindorfius* vulgatam defendit, (gravem annis militem a sene distinguens et h. l. quinquagenarium fere evocatum argute nimis intelligens,) hoc tantum addere liceat, quod *Jahnius* V. C.*) lectioni vulgatae annis sic opem ferre studet, ut eam intelligat de militiae annis militis mercenarii, qui lucri causa stipendia facit, non de annis aetatis. *Fea* autem vulgatam annis hoc modo defendere conatus est, ut plures veterum locos afferat, in quibus de militum senectute sermo est. Qui tamen ideo non audiendus est, quod senex miles neutiquam eam ob causam stipendia merere potest, ut, (quod Horatius diserte dicit v. 31.,) senex in otia tuta recedat.

Voces vero annis et armis, quae in elementis sibi simillimae sunt, in Romanorum scriptoribus saepius inter se permutatas esse, praeter *Nicol. Heinsium* ad Ovid. Heroid. I, 105. inprimis pluribus exemplis docuit *Drakenborch.* ad Sil. Ital. II, 94., quo duce *Bouhierius* fortasse in coniecturam suam incidit. Quemadmodum vero *Bouhierius* nostro loco vulgatam annis in armis mutavit, ita *I. Hildebr.*

*) Vid. eius Ed. Horatii, Lips. 1824, p. 241 seq. (Cf. Ephem. Lips. 1818, ch. 274. p. 2189.)

Withofius in ſpecimine Emendatt. ad *Guntheri* Ligurinum *) p. 40., ſenſu non minus poſtulante, lectionem vulgatam in Ligurino armis in annis mutavit **).

Hac autem coniectura armis loco annis in Horatio recepta, haec ſententia probabilis prodibit:

Ubi ad armorum gravitatem, quam miles Romanus alias ſentire non ſolet ***), accedit itineris longi labor, (multo jam fractus membra labore,) tunc in querelas de iniqua ſorte ſua erumpit, exclamans: „O fortunati mercatores!“ Errant praeterea ſine dubio idque dupliciter ii, qui lectione annis ſeducti verba: „multo jam fractus membra labore,“ pro explicatione ſeu amplificatione militis gravis annis habent; quod ideo monemus, quia etiam *Wolfius* ab hoc errore non plane liber eſſe videtur, utpote qui hunc Horatii militem cum eo comparat, quem Angli a broken ſoldier nominant. Nam eiusmodi miles ſenio potius et vulneribus quam longi itineris labore confectus eſt.

Tertius huius Satyrae locus, non ob ſenſum, ſed ob grammaticam magnas inter commentatores turbas excitavit.

V. 49. — — „Vel dic, quid referat intra naturae fines viventi, iugera centum an mille aret.“

Quam-

*) Edit. nov. Duisb. ad Rhen. ap. Herm. Ovenium 1755, 4.

**) Hunc librum acuminis et eruditionis plenum benigniſſime mecum communicavit atque ad hunc egregium libellum primus me attentum reddidit *Zepernickius* noſter V. C., temporis noſtri Trebatius, †) mihique cariſſimus, non ſolum iuris peritia, ſed etiam optimorum cuiusque generis librorum notitia eosque cum aliis communicandi liberalitate inſignis.

***) Vid. Cic. Tuſc. II, 15.

†) Cic. ad Fam. VII, 5.

Quamquam grammaticae omnes docent, ne una quidem, quod sciam, excepta, verba interest et refert cum genitivo construi, tamen omnes Codd. atque Edd. hoc nostro loco in lectione viventi conspirant.

Audiamus primum, quid Critici dicant.

Lambinus et *Bentleius* tacent. *Wolfius* vero censet, illius regulae exceptionem in trivialibus solum grammaticis non inveniri, cuius tamen plura exempla invenire possint, si operae pretium sit. Hoc autem nihil aliud esse, nisi egestatem veram sub falsa divitiarum specie occultare, non est quod moneamus. Equidem potius quovis pignore contendam, nullam esse grammaticam, quae vel unum eiusmodi aliud exemplum afferat. Qua in re mecum consentit *Doeringius* V. C. ad h. l. dicens: „vix locus, puto, idoneus e scriptore aliquo, qui Horatii aetate vixit, afferri poterit, ubi impersonali refert iunctus sit dativus.“

Aliam viam tentavit *Heindorfius*, qui verbum refert h. l. absolute positum esse ait et dativum viventi explicandum existimat: „wenn man lebt“. Quis vero unquam de eiusmodi apud Latinos dativo audivit, qui in *i* desinens eandem habeat significationem quam ablativus absolutus? Sed fac, eum adesse, tamen ideo non posset in loci nostri constructione probari, quod viventi et aret idem subiectum habent, ita, ut non viventi, sed vivens ponendum fuisset. Atqui si viventi absolute positum esse nequit, nihil aliud superest, nisi ut hic dativus a verbo referat pendeat. Quocirca iudicandum videtur, hac via difficultatem non tolli, sed augeri.

At quum variantes in Codd. desint, aderunt fortasse coniecturae, quibus hic locus sanari possit.

Cuningamius loco viventi legendum coniicit viventis, quae mutatio sine dubio facillima est neque metro adversatur. Nam etsi extrema in viventis syllaba brevis est, tamen ea ob sequens *j* (in voce iugera) produci potest.

Doeringius hanc coniecturam cum *Wolfio* non probans, pro viventi offert vivens num, ad exemplum Sat. II, 6, 58.; quae tamen lectio a vulgata viventi nimium in literis recedere videtur.

Sed quamquam *Cuningamii* coniectura iam satisfacere posse videtur, tamen alia mihi quidem superesse videtur via, quam neminem adhuc tentasse video. Ut paucis dicam, viventi esse quoque potest antiqua genitivi forma, qua fortasse poeta h. l. nisi ob metrum, tamen ob antiquae orationis studium uti potuit. Nam literam *s* in extremis vocum syllabis saepius omissam esse, magna exemplorum copia monstrat. Ita Latini dicunt mult*i*modis loco mult*is*modis, cu*i*cu*i*modi pro cu*ius* cu*ius*modi. Gellius XII, 4. ex Ennio affert: facund*u*, in locum facund*us*, item content*u* pro content*us*. Sic quoque sc*i*ne loco sc*is*ne scribitur. Apud Lucretium pass*i* crinibus legitur. Praeterea qu*i* pro qu*is*, homo frug*i* pro frug*is*, pleb*i* loco pleb*is* notissima sunt *).

*) Cic. de Orat. 48. „Voluptati aurium morigerari debet oratio." Ad quem locum *Ernesti* „veterem", inquit, „pronunciationem nescimus". Porro eodem loco Cic. „Ita enim loquebantur: qui est omnibu princeps." Cf. Quinctil. IX, 14.

Restat denique locus quartus, quem *Bentleius* salebrosum vocat, unde haud facile sit pedem inoffensum referre.

V. 88. An si cognatos, nullo natura labore
Quos tibi dat, retinere velis servareque amicos,
Infelix operam perdas, ut si quis asellum
In campo doceat parentem currere frenis?

Hic primum *Wolfius* loco An si legit At si, deinde comma post cognatos delet et idem post vocem amicos ponit, signum denique interrogationis pone frenis in punctum mutat, interpretans sic:

„Hoffst du vielleicht Blutsfreunde, die schon die Natur dir gegeben,
„Ganz ohn' eignes Bemühn auch hold und geneigt zu erhalten,
„Traun, so verfehlst du den Zweck; als ob man das grauliche Lastthier
„Rasch hintrabend dem Zügel im Blachfeld lehrte zu folgen."

Heindorfius contra pro An si e coniectura sua dedit Ac si, et commate post vocem amorem v. 87. posito, ubi vulgo signum interrogationis est, sic explicat: und (wunderst du dich) im Fall du dir die Blutsverwandten, die dir ohne dein Zuthun die Natur gegeben hat, als Freunde erhalten willst, du dann eben so umsonst dich bemühst, wie wenn Jemand den Esel die Künste des Pferdes lehren wollte?

Fea ex uno Cod. lectionem recepit An sic, hac interpunctione:

An sic cognatos, nullo natura labore
Quos tibi dat, retinere velis servareque amicos?
Infelix operam perdas; etc.

puncto post frenis posito; quam lectionem et interpunctionem *Doeringius* quoque secutus est.

Quodſi has explicationes inter ſe comparamus, videbimus, *Wolfium* verba nullo labore, non ad: „quos tibi dat natura," ſed ad: „retinere velis", retuliſſe, reliquos vero commentatores omnes ad verba ſuperiora. Atque in his poſterioribus viris etiam *Bentleius* eſt, ducibus ſcholiaſtis veteribus. In illa enim interpunctione, quam *Wolfius* ſecutus eſt, *Bentleius* iure vituperat hanc ſententiam: „An, ſi nullo labore (ſine ulla opera) cognatos retinere velis, operam perdas?" adiiciens: „An opera perditur, quae omnino non inſumitur?" Deinde idem recte iudicat, in vulgata lectione, At ſi, et puncto pone frenis poſito, culpam huius operae fruſtra inſumtae, in cognatos non in avarum transferri, ſcilicet qui ad amicitiam aeque eſſent inutiles atque aſellus ad currendum in campo frenis parens.

Quocirca *Bentleius* ipſe vulgatam At ſi in An ſi, quemadmodum plures Codd. legunt, mutavit et ſigno interrogationis pone frenis poſito hanc ſententiam exhibet: „An nihili facis a cognatis amari, et omne, quod ad eos demerendos impendi debet, male locatum et perditum iri putas, quaſi ſi aſellum traderes magiſtro? etc."

Cui tamen explicationi, quae in univerſum nexui convenit, hoc addendum videtur, quod verba: „nullo natura labore quos tibi dat," non ſatis reſpecta ſunt. Poeta enim, niſi me omnia fallunt, hoc ſentit: Tune avare putas, cognatos, quos cuique natura dat amicos *), quique ideo ad amicitiam aptiſſimi

*) Cf. Xenoph. Memorab. II, 3, 4.

ſunt, et facillima opera nobis conciliantur, dummodo non repellantur, aſellis eſſe ſimiles, quos natura ad currendum in campo frenis parentes prorſus inutiles finxit; omnemque operam perditum iri putas, ſi eos tibi retineri volueris amicos, quaſi aſellum condocefacere ad currendum in campo frenis parentem velis?

Ad hunc autem, quem dedimus, ſenſum perinde eſt, utrum An, ſi an At, ſi legas, dummodo poſt frenis ſignum interrogationis ponas. Illud enim erit noſtrum: würdeſt du wol etc.? hoc: aber würdeſt du wol?

Ad poſtremum obiter monendum eſt, voces in campo ab aliis explicari: in campo Martio, ab aliis autem in plano. *Wolfius* poſterius probans convertit: im Blachfeld. Quamquam vero aſinus eodem modo, quo equus, frenari et equitem in dorſo habens per omnem campum currere poteſt, tamen ad currendum in campo Martio, ubi iuventus equitandi artem exercebat, atque magna ſpectatorum corona aderat, nequaquam aptus erit, utpote quem natura ad onera potius portanda deſtinavit. Hanc ob cauſam in campo vix aliam explicationem patitur, quam in campo Martio.

Haec habui, quae pro brevi temporis ſpatio dare potui, nihil aliud ſpectans, niſi ut Horatium, quem prae ceteris magni facio et diligo, non ſolum ab iniuria gravi vindicem, ſed etiam hac occaſione ad eundem melius intelligendum pauca quaedam, ſi poſſim, conferam.

ADDITAMENTUM.

Haec quum fcripfiffem preloque iam tradidiffem, allata mihi eft *Seebodii* V. C. Bibliothecae criticae feries nova, in qua (Ann. 1. Vol. 1. Febr. 1828. Nr. 16. p. 127 feq.) *Doeringius*, Venerabilis ille philologorum noftrorum veteranus, coniecturam, quam aliquando in luculenta fua Horatii editione ad Epp. II, 2, 70. (Tom. II, p. 407.) propofuit, vulgatam huius loci lectionem humane in Romano transmutatam cupiens, retractavit, ut in locum eius nunc meditanti fubftitueret, ratione habita vocis meditantibus, quae vv. 71. et 76. legitur. Contra quod novum confilium nihil aliud proferri poffe ait, nifi quod in voce meditanti praeter literas *a* et *n*, nihil amplius de vulgata relinquatur; quae tamen libertas in aliis quoque coniecturis haud rara fit.

E poftrema tamen excufatione manifeftum effe videtur, hunc egregium philologum non folum a quavis coniectura, quae communem omnium plaufum latura fit, poftulare, ut lectioni vulgatae in literis ac fono quam fimillima fit, fed etiam ob hanc ipfam caufam hac nova coniectura fe non ab omni parte contentum effe.

Quaerere etiam fortaffe quispiam poffit, num intervalla longa f. incommoda meditanti contraria fint.

Iam quum in eadem Bibliotheca, nifi fallor, legiffem, *Doeringii* Horatium mox denuo prelo fubiectum iri, equidem mihi hac occafione permifi, novam coniecturam huius loci offerre, qua fortaffe illud impedimentum, quod in nimia vocum humane et medi-

tanti diverſitate ſitum eſt, removeri poſſet. Hinc in locum vulgatae humane equidem offero immane, (intervalla vides immane commoda,) quae duae voces humane et immane non ſolum numero literarum eaedem ſunt, ſed etiam ad ſonum ſibi ſimillimae; ſiquidem in prioribus tantum literis (*hum* et *im*) ad ſcripturam differunt, neque vero abſimile eſt, eas etiam in his ipſis prioribus literis ſimiliter ſonuiſſe. Nam Romanorum *u* ad eundem fere modum pronunciatum fuiſſe, quo Francogalli hanc literam pronunciant, apud quos *u*, ut notum eſt, vicinum eſt in ſono literae *i*, (unde etiam ſunt et ſint in Codd. ſaepius confuſa reperiuntur, ſiquidem librarii inter dictandum has literas non ſatis diſtinctas auribus exciperent,) pluribus exemplis probari poteſt. Hinc *hum* (*üm*) et *im* facile inter ſe permutari poterant. Quod vero literam *h* in voce humane attinet, ea ſpiritui Graecorum leni in nonnullis vocibus haud disſimilis fuiſſe videtur, ita, ut interdum prorſus abeſſe videretur, et *hum* et *im* eodem fere modo ſonarent.

At fortaſſe quaeres, quae harum vocum humane et immane quantitatis ſit ratio. Ea eſt prorſus eadem, utraque enim haec vox e tribus longis ſyllabis conſtat, quae hoc in nexu a metro poſtulantur. Sed concedamus, inquis, vocem immane ſimillimam eſſe in pronunciando alteri humane eandemque quantitatem habere, nonne ſenſus fortaſſe huic mutationi adverſatur? Ad quam quaeſtionem ſic reſpondemus. Si intervalla immane commoda nihil aliud ſignificant niſi: unmenſchlich vel ungeheuer vel entſetzlich bequeme Zwiſchenräume, et haec

verba per oxymoron, quod ironiae genus est, apud nos probum sensum exhibent, non dubitandum est, eadem verba apud Romanos eundem probum sensum habere potuisse.

Quod vero ad postremum, ad compositionem immane commoda, attinet, non dubium est, quin ea aeque proba sit, ac immane quantum, quo poeta noster Od. I, 27, 6. usus est.

Alius vir doctus, (*Wiss*, Rintelii,) *Doeringii* olim discipulus, in eadem, quam supra laudavi, *Seebodii* Bibliotheca (Apr. 1828, No. 26. p. 207.) non minus, quam ipse *Doeringius* in eo offendens, quod vox meditanti duas tantum cum voce humane literas communes habeat duabusque insuper syllabis longior sit, loco humane, ut vulgo legitur, coniicit humano, explicans docto, culto, ad exemplum Ciceronis aliorumque, hoc sensu: Vides quidem intervalla (inter colles Quirini et Aventini) homini docto commoda esse; verum plateae non purae sunt, etc.; vel signo interrogationis pone obstet (v. 71.) posito: Verum plateae, num hae tandem purae sunt, nihil ut meditantibus obstet?

Quodsi vox humanus, cuius neutrum humanum apud Ovid. Fast. II, 503. itemque Iustin. XLII, 3. significat id, quod nos dicimus: ein menschliches Wesen, i. e. ein Mensch, sic nude posita, pro docto s. exculto homine occurrat, equidem hanc coniecturam ob sensum, quem reddit probabilem, non improbem.

II.

Hiſtoriſche Nachrichten

von der

lateiniſchen Schule

im Waiſenhauſe.

A.

Allgemeine Lehrverfassung.

